



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Mos & ritus primitivae Ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

nis Sanguinis Christi. Quæ verba ex Epistola ad Corinthios desumpta sunt. Nonnunquam ait, Recordare, quod Sanguis Christi pro te effusus est. Quibusdam in locis Magistratus temporales priores accedunt, & hos sequuntur Spirituales, hoc est, ij qui sunt de Consistorio. Tanta scilicet horum est ignorantia, ut instar Esau, pro edulio lentium primogenituram suam, id est, prærogatiuam vendiderint. Stantes panem lumunt, aut potius eunt, & suam quisque portionem mandentes. Genebrardus euenisse aliquando scribit, ut anus edentula, cui crusta forte obtigerat, per negligentiam relicta (solent enim alioqui demere crustam) portionem suam, quam mandere non posset, in suam recondere fuerit coacta, alia vero exclamans dixerit: O quam durus est iste, Calvinistarum Deus: tractabilis Catholicorum. Apud Geneveses Oblatis, ut vocant, à pastore petitis Cœnam celebrari solitam, auctor est Caierus. Residuum si quid est de hoc pane, id pauperibus datur, nec quidquam referuatur, propterea quod in Noua hac Ecclesia Cœna celebrari nequeat nisi in eo loco ubi sit Cœtus congregatio & eo tempore, quo vnuersus populus eam sumit: Vnde efficitur, ut miser alicui Paralytico, lecto affixo, solum vitæ tempus reliquum ad mortem vsque degeadum sit sine participatione Cœnæ Dominicæ, non minus quam captiuo, ut & ijs qui diè, huic panis distributioni destinatum obire aliqua alia ratione impediuntur. Aliter facere, Papisticam superstitionem censent: quo nomine Lutheranos reprehendit Calvinus, & cum eo Musculus, Bullingerus, alij. Quos Chemnitius Lutheranus interrogat, quo pacto ab omni humanitate simulque à doctrina D. Cypriani tam alienam Religionem habeant, ut effissimum Corporis Christi medicamentum negent agrotis? Augustini aliam mentem fuisse, qui exhortatur agrotos, ut salutare hoc viaticum mature petant. Et deinde ad Calvinum conuerso sermone quaerit, videatne à D. Dionysio iam olim indicatum fuisse, maximo bono per eum agrotos frustrari qui communiōe eos priuati Eucharistia. Quamquam ipse Calvinus in Epistolis suis censere se profiteatur, non esse denegandam Cœnam agrotis, & cur ita sentiat, multis grauibque rationibus induci se affirmet. Et nihilo tamen magis id sit. In quibus autem mætorum angustijs necesse est versari eos quibus aliquid reliquum est conscientia, si nihil sit aliud quod eos soleatur, præter Ministri hanc affirmationem, quod sola fides sit curus, quo ceti. Noni quidam Helia in cœ-

lum sine rapiendis! Parum profecto idonea cautio, quæ tam parum idoneos det fideiuflores! Sed ad Ministrum, panem, ut dixi, pro concione distribuentem reuertamur. Is non raro bis eod. in die Cœnam administrat: & tunc matutinum tenet per famulus & ancillis tribuit, ipse non minus quam ceteri portionem suam sumens: deinde octauam horam, aut nonam, patribus familias & matronis impertitur. Quinetiam si duarum Ecclesiarum ministerio sit adstrictus, mane in vna Cœnam populo distribuet, deinde curata cure, ad reliquas oues suas proficiscetur, qui ipsi quoque prius bene pasti ad mensam Domini accedunt, hilariter Cœnam suam sumturi, non negligente Ministro etiam de hac participare, quum sit ipse, semper prius delibare, & primum omnium communicare. Quem ab usum quum aliquando palandum proponeret cuidam Patri Consistoriali, ostendens illi pietatē magnæ multitudinis hominum Catholicorum in Strand: alieni oppido: qui quum non potuissent Antistiti suo, optimo & religiosissimo Cardinali de Sordis, visitanti & confirmanti populum suum, conficere tempore matutino, ab eoque Eucharistiam accipere, ieiuni ad Vesperas vsque perseuerabant, percepturi Corpus Creatoris sui: quumq; oculis ipsius subiectem bonos istos homines, qui è longinquis locis illuc confluerant, flexisque genibus tantisper in templo exspectabant. Quorsum, inquit, omnia ista? Quæ si Deus voluisset, nonne præcipisset? Cui ego, Ecclesia, inquam sua, suprema filiorum suorum Magistra & ductrix, statuenti super his rebus potestatem permisit, quemadmodum Augustinus docet, affirmans placuisse Spiritui sancto ut in honorem tanti Sacramenti Corpus Domini nostri in os hominis Christiani prius quam alius cibus intraret.

V Sed quoniam primæuam Ecclesie puritatem non minus falso quam frequenter nobis opponunt: quid est cur non discant ex S. Clemente, hanc fuisse primitiue Ecclesie consuetudinem, ut reliquias consecrati panis collectas, cum reuerentia Corpori Iesu Christi debita conseruarent, in usum ægrotorum, peregrinorum, & eorum, qui frequentius communicate erant soliti? Concilium præcipit, ut paratam Eucharistiam habeant Presbyter, ut si quis sit æger, confestim eam percipiat, nec morietur absque communiōe. Conseruabant autem eam, quemadmodum hodie quoque facimus, in vase, quod Græci appellabant *κίβητιον*, vnde nostrum Ciborium nomen sumit, ut videre est centum in locis: Plichta profecto & plena Religio-

antiquitas, ex Sancto Irenæo, Tertulliano, Cypriano & Divo Ambrosio petita, ad quam vobis, miserissimi Reformatores, non vero ad novitates Lacus Genevensis, recurrendum esset. Quæsit a aliquando ex me Reformatus quidam, ubi maneret Corpus Christi si species in hierosolymis tractu temporis corrumpantur. Berengario idem quærenti pius quidam Pater in hunc modum respondit. Panis inquit, diuinus hominibus corruptis videtur corruptibilis: ac Catholicis numquam corrumpitur celestis ille panis, Eucharistia ista, Manna istud. Non enim putrescit: quin hoc pane vivimus & à corruptione vindicamur, carnem immaculati istius agni immunem à passione manducantes. Vigilat Ecclesia, ne eiusmodi eveniat incommodum, ne, inquam, Hostia putrescat: potest enim sacerdos sacrificans in Altari, una vice omnes consecratas Hostias sumere, & in earum locum novas substituere. Quod si amenable tale aliquid contingeret, ut prorsus essent corrupta species, desinit esse in ijs Christi Corpus, non secus ac anima, corpore dissoluto. Immo si bestia sacram devoraret Hostiam, esset in ea Corpus Christi, quomodo est in Athei alicuius & inimici Dei ventriculo. Solas species ledit bestia illa, id est, minimam Sacramenti partem, ac Corpus Salvatoris nequaquam, ut quod pollui corrumpere non possit: est enim gloriosum, incorruptibile & passionis expertus, nec magis dentibus arrodi potest, quam gladio, quo corpus peroditur, anima ladi. Iniuria nihilominus, qua species afficiuntur, ad Deum spectat, quoniam Corpus Jese Christi, cum speciebus unicum constituit Mysterium, & unicum Sacramentum. Præclara hæc Antiquitatis consuetudo, qua reponebatur Eucharistia in usum absentium & ægrotorum utque in Processionibus circumgestaretur, compluribus in locis legitur apud Tertullianum, Sanctum Cyprianum, Sanctum Basilium, Sanctum Augustinum, & apud primorum Regum Franciæ historicum Gregorium Turonensem. Hinc est quod Concilium Nicænum Primum præcepit, ut in quaque Ecclesia sit æditus, qui loci illius in quo Eucharistia conservatur, curam gerat: nam quum persecutionis tempore non raro eveniret, ut ab Ethnicorum satellibus subdito involutam unâ secum domum asportabant, ut si opus esset, sumerent eam in puncto martyrij.

VI. Jam etsi ipsi fateantur, neminem posse administrare Sacramentum, nisi cui publice docendi munus incumbat: nihilominus tamen contra hanc doctrinam usus obtinet apud ipsos, ut Poculum Superintendententium aliquis, quemadmodum

iam dixi, distribuatur, quin ipse oculatus testis sum, Ministrum illi, qui poculum, seu vitrum manu tenebat, postquam bibisset, dixisse, da hoc fratri tuo, & eum porro proximo porrexisset, & sic deinceps ad ultimum usque, quemadmodum fit in Germania: aut quomodo Judæi Agnum suum Paschalem comedunt. Insignis profecto & crassus error! Genevenses Constitutiones statuunt, ne quis Calicem porrigat præter eos, qui sunt ad hoc constituti, sive Diaconos & Ministros. Et tamen in Catechismo ipsorum scriptum est, solos eos, qui docendi munus gerunt, posse administrare Sacramentum. Ut necesse sit illis fateri hic esse contradictionem, aut certe, se non celebrare, vel non velle celebrare Cœnam nisi sub specie solius panis. Sunt apud me scripta cuiusdam, qui Ministerio renunciavit, quavis misera muliercula adhuc eum retineat, quo minus plenariam Apostasi suæ veniam obtinere possit. Is hunc abulum à se animadversum ait. & Ministris sæpe, quum adhuc ipse Ministerio fungeretur, indicatum, eamque ipsam quæstionem vehementer disceptatam fuisse Anno M. DXXXV. in Synodo Bergeracensi, sed maiorem Ministrorum partem censuisse, non esse movendum hunc lapidem, ac occasio dateretur populo cogitandi, quod in ea re erratum esset: itaque conclusum fuisse, ut in sua quisque Ecclesia id quod optimum videretur, in hac re, tamquam indifferenti, faceret. O brutalem conscientiam! libertatem, suæ lege, sine norma, sine freno, sine politione, positâ in arbitrio cuiusque, ut suo more & pro libitu & credat & vivat! Sane in primitiva Ecclesia, quidquid etiam dicatis, nunquam invenietis receptum fuisse, ut præsentem Presbytero Diaconus hoc munus in se susciperet.

VII. Panem adhibent vulgarem, ut & Græci, quamvis isti hanc rem adiphoram existiment, ut ex Concilio Florentino liquet, ubi Papam Eugenium sic Græci alloquuntur: Nihil interest, inquit, utrum azymus sit panis, an fermentatus, dummodo sit ex frumento confectus. At Calvinistæ communi pane haud aliam ob causam uti videntur, quam quia in Ecclesia receptum est, ut Corpus Domini nostri, quod veteri fermento peccati nunquam infectum fuit, consecratur in pane azymo & cui fermentum non est admixtum: fermentum enim hypocrisis, malitia & arrogantia in Scriptura significatur. Et quidē ad imitationem Salvatoris id facimus, qui Sacramentum hoc primo azymorum die instituit, hoc est, eo tempore, quo non licebat